



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Clara V. 12. Augusti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

hæc erat) in aulam evocata est. Ibi cum totos dies precibus se & adhortationibus mutuis armassent, in pugnam deniq; proditura S V S A N N A domum concessit. Nec multo post adfuit Maximianus & malis auspicijs Amoris ædes castas nec quicquam oppugnavit. Nam rectius S V S A N N A Angeli ductu pugnavit, qui ab ædibus repulit profanum. Successit Maximiano Imp. Diocletianus, Macedonio missio, qui ad Deorum sacrificium velut ad foedus invitaret tam fortiter decertantem. Sed nimirum geminum hostem triumphare etiam hæc S V S A N N A debebat. Et verò triumphavit, rectiusque Deo ipsam humi afflictam dæmonis statuam sacrificavit. Mox eidem post multa verbera gladio caesa sanguinem etiam suum litavit. Istum peplo suo excepit Serena, domumque veluti ingentem thesaurum reportavit. Et reverà purpuram, qualem nunquam antehac etsi Imperatrix, & in eâ tot gemmas, quot guttas portabat. *Ex Sur.*

S. CLARA V. 12. *Augusti.*

FRANCISCI illustris partus Virgo CLARA est, mater eadem omnium Virginum, quæ FRANCISCI institutum æmulantur, jam antè parenti suæ, quàm nasceretur, à Christo è cruce laudata. Ergo unicum sexus sui miraculum ea facere

cere molles Virgunculas docuit; quæ multi in viris miramur, pauci imitamur. Asperrimam vitæ rationem, atque ultimam, quam in ordinem suum in-
vexit, paupertatem cordi DEO esse, vel tunc probavit, quando abundare in vacuo etiam vase oleum fecit, & dimidium panem quinquaginta omnino Virgibus sufficere. Neque erravero, puto, si Moysi etiam feminam æquiparavero. Certè obsidione gravi cum Assisum cingeretur, precibus ante Eucharistiam cum epulum CLARA depugnans omnes in fugam hostes egit, certiorque de victoriâ ab ipsomet sponso Christo est facta. Ab hoc aliàs nunc ad Nascentis cunas, nunc ad Patientis tormenta spectanda cum evocata esset, Crucis deinceps signo ita usa est, ut contra morbos Alexiteriorum, contra Orci minas Panopliæ vicem esset. Iam moriens uti è terris cum purpurato senatu summum Pont. ita è caelis cum candido Virginum agmine Virginum Reginam, & cum hac summum Numen ad se pertraxit; itaque in calo fuit, antequam fuit. *Ex Suario.*

S. CASSIANVS EP. ET M.

13. Augusti.

Pvlchrius longè CASSIANVS post Pontificatum, quem apud Brixentas gesserat, quam post Regnum olim
Dio-